DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

1225

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XII. DECEMBRIS.

M. RAYMVNDO VASLET, Doctore Medico, Præside.

An fluxioni à capite vomitus nonnunquam utilis?

CAPVT pars corporis altissima, malè temperatum cùm sibi tum reliquo corpori morbos innumeros parit. Nam quæcunque pars caput attingit vel vicinia, vel vasorum communione, vel servitutis officio, vel situs acclivitate, nunquam non ab illo in hanc mali aliquid depluit. Quibus partibus motum indidit natura quò se servarent, illæ ingruentem calamitatem quà possunt depellunt: fauces screatu, pulmo tussi, ventriculus vomitu. Sed suæ sunt partibus ut juvandi sic & nocendi vices. Ventriculus multa continet, multa sursum effert noxia; quibus quò citiùs vacuefactus fuerit, eò meliùs capiti & subjectis partibus futurum est.

MALVM malo rependit caput, cùm humorem coacervatum & accepto inferiùs calore liquatum quoquoversum dimittit: hujus inde fluentis non una via est. Aliàs vasa quæ sanguinem sursum tulere serum reportant indigenâ salsugine mordax, & locis quæ præterlabitur vel occupat dolorificum: auribus, oculis, dentibus omnium maximè. An à capite subter cutem ductus inconspicuos sequitur humor catharri, rheumatismi, arthritidis author? siccine fiunt illi affectus congeneres tum materia tum origine? Equidem infra illis origo est, supernè motus accidit, si rheumatismum excipias. Ergo quod à capite tenuius exilit ferè externas partes petit: crassiusculũ & ἀπόιον subjectæ capiti cavitates excipiunt. Hinc asthma, dum humor in pulmonem illabitur, & ibi καταγλιχεύνεται, idem si ad ventriculum inclinat, frequens infestat ad vomitum impetus, ut in omnibus quibus natura vel morbo cerebrum humidius est.

VOMITVS à natura ventriculo attributus, ad res noxias promptiùs expellendas; ille si sponte susceptus & levior nunquam nociturus est. plurimis in cephalæâ, hemicraniâ, & dolore capitis diuturno evomuisse profuit. Ventriculo vis inest sui ipsius eluendi, & subverso fundo eliminandæ illius fæcis, quam tum ex quotidiano ciborum attritu, tum aliundè, confluente illuvie congerit, multa capiti mala illaturam: quâ etiam inquinatum, in ceteras partes abiturum alimentum distillationis generandæ causam ubique procreat haud paulò majorem in capite, quod assiduò ferit sordens ventriculus, & omnigenâ humorum copiâ implet; quippe in perpetuo utriusque ultro citroque mittendi commercio, capitis & ventriculi hoc interest, quod illud oppletum solummodo, hic tum vacuus tum crudus ad distillationem excitandam valeat. Certè tot malorum fœcundo visceri sus deque depleri non raròconvenit, hàc quidem tutiùs, illàc citiùs, & sæpe tutò.

DISTILLATIONIS à capite si adventet præcavendæ, si jam instet curandæ, rationem definit Medicus ex ipsis illius causis. Omnes neque pari curâ, neque paribus auxiliis indigent. Adversùs externas vel internas, caput & stomachum munire scuto, cucupha, medicatis lotione, litu, fotu, emplastris, exoletum medicinæ genus. Humoris jam à capite fluentis, vel sustinendi, vel sistendi, princeps venæ sectio; huic longè inferiores frictio, cucurbitulæ, scarificatus, vesicantia. Sectæ longinquis in partibus venæ aliter quàm revellendo humore prosunt. Intricata res est ἀντίσπασις, & in morbis capitis vel thoracis optata magis quàm præstita: Hanc à vomitu frustra speret cui à capite humor devocandus est. Causas distillationis potiùs quàm distillationem tollit vomitus.

VBIVIS lateant distillationis causæ, quamprimùm illæ sunt abigendæ: has si ventriculus habeat, & spontè contra exurgens, vomitu foras ejiciat, abundè est. Satis ille sibi, & capiti consulit: sin cunctantem inanis nausea agitet, & identidem atque incassum vomiturientem attollat adjuvabit Medicus: Illius bene memor quod in vomentibus apprimè tenendum est: vomitum propriam esse quamdam & privatam expurgandi humoris viam; hanc sequi Medico licere, publicam fieri summo capitis periculo. Ergo apage vehementiora emetica; mitioribus dumtaxat esto locus, quæ ventriculum blandiùs commoveant & commoneant, ut hac intentione suâ pressum omnem depellat humoris tum sibi tum capiti nocituri: Hinc enim sæpe generandæ distillationis, materies, hinc genitæ vis & malignitas. Veteres συρμαϊσμῷ utebantur, nitente ciborum penu credebant omnia in corpore nitefieri, & nitere caput liberum ab omni vel accipiendâ vel referendâ inferarum partium injuriâ.

Ergo fluxioni à capite vomitus nonnunquam utilis.



DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Paulus Mattot.
M. Carolus le Long.
M. Ludovicus Morin.
M. Petrus Lombard.
M. Philippus Mathon.
M. Raymundus Finot.
M. Nicolaus Cappon.
M. Nicolaus Richard.
M. Petrus le Mercier.

Proponebat Lutetiæ IOANNES ROBERT, Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LXIX.